

spem certam salutis: *ὅτι ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς*. Sic enim *ἔχειν ἐν ἑαυτῷ*, ut hebr. *יָדוּ* secum habere, de plena rei, vel cognitione, vel possessione usurpari solet, ut c. V. 26. Quicumque igitur sic utitur redemptione, per corporis mei et sanguinis sacrificium efficienda: *ὁ τρώγων μὲν τὴν σὰρκα, καὶ πίνων μὲν τὸ αἷμα* v. 54, is demum certo vitam consequetur aeternam, *ἔχει ζωὴν αἰώνιον*, ad quam extremo eum die resuscitabo. Haec enim, quam mortis meae et effundendi sanguinis pretio hominibus acquiram, redemptio, (quae v. 55. *σὰρξ καὶ αἷμα* nominatur) vere est saluberrimum animarum nutrimentum, quo reficiantur et roborentur ad bene beateque viuendum, idque dicitur: *ἀληθῶς ἐστὶ βρωσις καὶ ποσις*. Quo qui sic animum pascere didicerit vidu, ut meum in se amorem ex eo intelligat, suamque ipsius sentiat felicitatem v. 56. *ὁ τρώγων μὲν τὴν σὰρκα, καὶ πίνων μὲν τὸ αἷμα*, is aeternum adeo mihi coniunctissimus erit, ut a me nunquam possit iterum diuelli: *ἐν ἐμοὶ μένει, καὶ γὰρ ἐν αὐτῷ*.

Eius autem rei veritatem, ne cuiquam dubia videretur, ex suo ipsius exemplo Christus v. 57. intelligere iubet: quemadmodum me misit pater, vitae omnis autor supremus, *ὁ ζῶν πατήρ*, atque sic ego per hanc ipsam patris virtutem aeternum viam, etiamsi ad tempus sum moriturus: *καὶ γὰρ ζῶ διὰ τὸν πατέρα*: Ita pariter, quod saepe significat particula *καὶ*, qui felicitatis suae praesidium omne in me ponit, *ὁ τρώγων μὲν*, quod idem est, ac ante, carnem Christi comedere, eiusque bibere sanguinem, per me ille vita fruatur aeterna: *καὶ κείνος ζήσεται δι' ἐμὲ*. Sic igitur ait v. 58. iam nostis eum, qui panis instar de coelo venit, vitae vobis comparandae causa: *ὁ ἄρτος ἐστὶν ὁ ἀρτος, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς*, qui- que longe maiorem vim habet illo, quo licet vescerentur maiores vestri, a morte tamen liberari non potuerunt, *ἐφαγον, καὶ ἀπέθανον*. Illo autem qui veluti cibo recte fruuntur, *ὁ τρώγων τὸν ἄρτον*, etiamsi ex hac vita discesserint, aeterna tamen, ad quam eos reuocabo, vita gaudebunt, *ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα*. Atque sic dedit iis postulatum a se v. 30. signum illud de coelo, ex quo legationis suae atque religionis diuinam intelligere possent originem, suam nimirum ipsius mortem et resuscitationem ad vitam aeternam, quam etiam credentes in se omnes, meritorum suorum virtute, certo consequerentur. Quod, cum esset simile illi, quo olim Mosaicae, in qua tantopere se Iudaei ostentabant, religionis diuina confirmata fuit autoritas, immo longe pane illo coelesti praestantius, quem comedisse patres adeo gloriabantur, sine dubio intellexerunt quidem congregati in Synagoga auditores Christi, Capernaumi docentis v. 59. Cum autem Messiam expectarent, in quo ducem populi habe-

habe-